

Occurrit unicuique cogitanti, ex iis quos novit, quam forte duri et pertinaces et obnitentes adversus veritatem fuerunt, et modo prædicant veritatem: facti sunt frusta panis. Quis ille unus panis? « Multi, inquit Apostolus, unum » corpus sumus in Christo<sup>1</sup>. Unus panis, unum corpus » multi sumus<sup>2</sup>, » ipse dicit. Ergo si unus panis totum corpus Christi, membra Christi frusta panis sunt. De quibusdam duris facit membra sua, et utilia ad alios pascendos. Quid imus per multos? Notissimum illum Paulum Apostolum intuamur. Nihil nobis isto viro notius, nihil suavius, nihil in Scripturis familiaris est. Etsi fuerint qui ex tanta duritia, in quanta ipse fuit; panis fierent? ipso proposito ad exemplum, omnes occurrant, ut explicetur sensus iste, « Mittit crystallum suum sicut frusta panis. » Ecce crystallum erat Apostolus Paulus, durus, obnitens veritati, clamans adversus Evangelium, tanquam indurans adversus solem. Iste quam durus fuit, crescens in Lege, eruditus ad pedes Gamalielis Legis doctoris<sup>3</sup>. Non audiebat Moysen et Prophetas Christum prædicantes. Magna duritia. Certe gentes non audierant Prophetas, non audierant Moysen: frigidi erant, sed crystallum non erant. Ille qui credebat in verbis prædicantibus Christum, et Christo venienti non credebat, nimis obduraverat. Quia ergo crystallum erat, nitidus videbatur et candidus; sed durus et nimium gelidus. Quomodo nitidus et candidus? « Hebræus ex Hebræis, secundum Legem Phariseus. » Vide nitorem crystalli. Audi duritiam crystalli: « Secundum æmulationem persequens Ecclesiam Christi<sup>4</sup>. » Inter lapidatores sancti Stephani martyr, ibi erat iste durus, et forte cæteris durior. Omnium enim lapidantium vestimenta servabat, ut omnium manibus lapidaret<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Rom. xii, 5. — <sup>2</sup> I Cor. x, 13. — <sup>3</sup> Act. xxii, 3. — <sup>4</sup> Philip. iii, 5. — <sup>5</sup> Act. vii, 57.

XXVI. Ergo videmus nivem, nebulam, crystallum: bonum est ut ille spiret, et solvat. Si enim ille non spiraverit, si non ipse duritiam glaciei hujus dissolverit, « In faciem frigiditatis ejus quis subsistet? In faciem frigoris ejus, » cujus? Dei. Unde est ejus frigus? Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, esse non aperiet sensum, ecce non infundit gratiam: solvatur homo, si potest, glacie stultitiæ. Non potest. Quare non potest? « In faciem frigoris ejus quis subsistet? » Vide ergo congelascentem illum, et dicentem, « Video aliam legem in membris meis repugnantem legi » mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, » quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me » liberabit de corpore mortis hujus? » Ecce frigesco, ecce congelasco; quo calore solvar, ut curram? « Quis » me liberabit de corpore mortis hujus? In faciem frigiditatis ejus quis subsistet? » Et quis se ipsum liberabit, si ille deseruerit? Et quis liberat? « Gratia Dei per Jesum » Christum Dominum nostrum<sup>1</sup>. » Audi et hic gratiam Dei: « Qui mittit crystallum suum sicut frusta panis: in » faciem frigoris ejus quis subsistet? » Ergo desperatio est? Absit. Sequitur enim, « Emittere verbum suum, et » tabefaciet ea<sup>2</sup>. » Non ergo desperet nix, non desperet nebula, non desperet crystallum. De nive namque, tanquam de lana, conficitur tunica. Nebula illa in pœnitentia salutem invenit: quia « Quos prædestinavit, illos et » vocavit<sup>3</sup>. » Sed licet sint inter prædestinatos durissimi, et multo quasi tempore congelaverint, et crystallum facti fuerint: non erunt duri misericordiæ Dei. « Emittere verbum suum et tabefaciet ea. » Quid est? « Tabefaciet? » Ne forte in malo intelligatis « Tabefaciet: » liquefaciet, dissolvit. Duri sunt enim per superbiam. Merito et superbia stupor dicitur: quidquid enim stupidum est, frigidum

<sup>1</sup> Rom. viii, 23-25. — <sup>2</sup> Psal. cxlvii, 18. — <sup>3</sup> Rom. viii, 30.

est. Rigorem passi homines quotidie dicunt, Obstupui. Ergo superbia stupor est. « Emittere verbum suum et tabes » faciet ea. » Et revera cumuli nivis cum calefiunt, deliquescunt in humilitate. Quomodo ergo quasi montem nivis erigit stupor; sic stultos erigit superbia. « Emittere » verbum suum, et tabefaciet ea, » Ecce venit illud crystallum Saulus post cædem et lapidationem Stephani, duritia quadam stupidus in Christum, petiit litteras a sacerdotibus, ut undique exhibeat Christianos, anhelans cædes. Durus est iste et gelidus contra ignem Dei. Sed quanquam esset durus, quanquam gelidus, ecce ille qui « Emittere verbum suum, et tabefaciet ea, » clamavit de cælo fervidus, « Saule, Saule, quid me persequeris<sup>1</sup>? » Una illa voce, tanta illa duritia crystalli resoluta est. « Emittere ergo verbum suum, et tabefaciet ea. » Non desperetur de crystallo, quanto minus de nive, vel de nebula? De ipso crystallo non desperetur. Audi vocem quamdam crystalli, « Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus. » Sed quare solvit crystallum Deus? Ne de se nix ipsa desperet. Ait enim: « Ideo misericordiam consecutus sum, ut in me ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum » qui credituri sunt illi in vitam æternam<sup>2</sup>. » Clamat ergo Deus ad gentes, « Solvi crystallum, venite nives. » Emittere verbum suum, et tabefaciet ea; spirabit spiritus ejus, et fluent aquæ. » Ecce crystallum et nives resolvuntur, eunt in aquas: qui sitiunt veniant, et bibant. Saulus durus ut crystallum, Stephanum est persecutus ad mortem: Paulus jam in aqua viva gentes vocat ad fontem. « Spirabit Spiritus ejus, et fluent aquæ. » Spiritus fervens, unde dictum est in alio Psalmo: « Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in

<sup>1</sup> Act. ix, 1-4. — <sup>2</sup> 1 Tim. i, 13-16.

» Austro<sup>1</sup>. » Captiva enim Jerusalem tanquam congelaverat in Babylonia, flat Auster, solvitur rigor captivitatis, et currit in Deum fervor charitatis. « Spirabit Spiritus ejus, » et fluent aquæ. » Fiet in eos fons aquæ salientis in vitam æternam<sup>2</sup>.

XXVII. Annuntians verbum suum Jacob, justitias et » judicia sua Israël<sup>3</sup>. » Quas justitias, quæ judicia? Quia et quidquid hic humanum genus ante perpeccatum est, cum esset nix, et nebula, et crystallum, merito perpeccatum est superbiæ et elationis in Deum. Recurramus ad originem casus nostri, et videamus quia verissime in Psalmo cantatur: « Priusquam humiliarer ego deliqui<sup>4</sup>. » Sed qui dicit: « Priusquam humiliarer ego deliqui, » ipse dicit: « Bonum mihi est, quoniam humiliasti me, ut discam » justificationes tuas<sup>5</sup>. » Has ergo justificationes a Deo didicit Jacob, qui fecit ipsum Jacob luctari cum Angelo: in cujus Angeli persona ipse Dominus erat luctatus. Tenuit, vim fecit ut teneret, invaluit ut teneret: fecit se teneri misericordia, non infirmitate. Luctatus ergo Jacob, prævaluit, tenuit: et quem videbatur vicisse, rogat ut benedicatur ab eo<sup>6</sup>. Quomodo intelligebat cum quo luctatus fuerat, quem tenuerit? Quare violenter est luctatus, et tenuit? « Quia regnum cælorum vim patitur, et qui » vim faciunt, diripiunt illud<sup>7</sup>. » Ergo quare luctatus? Quia cum labore. Quare vix tenemus, quod facile amisimus? Ne facile recipiendo quod amisimus, discamus perdere quod tenemus. Laboret homo ut teneat: tenebit ad firmitatem, quod tenuerit post laborem. Ergo hæc judicia sua Deus manifestavit Jacob et Israël. Apertius dicam, id est, quia et justi qui hic sunt, labores, pericula, molestias, passiones pro merito patiuntur, justo judicio Dei.

<sup>1</sup> Psal. cxxv, 4. — <sup>2</sup> Joan. iv, 14. — <sup>3</sup> Psal. cxlvii, 19. — <sup>4</sup> Id. cxviii, 67. — <sup>5</sup> Ibid. 71. — <sup>6</sup> Gen. xxxii, 24-26. — <sup>7</sup> Matth. xi, 12.

Quia ille solus potest dicere, sine causa hic se passum; quamvis ideo non sine causa, quia propter nos: qui solus potest dicere: « Quæ non rapui tunc exolvebam<sup>1</sup>: » qui solus dicere potuit: « Ecce venit princeps hujus mundi, et in me nihil inveniet. » Et quasi diceretur ei: Quare ergo pateris? sequitur et dicit: « Sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc<sup>2</sup>. » Cæteri omnes merito suo, judicio Dei, et pro justitia qui patiuntur, non sibi arrogent, quasi passionem innocentiae, qualis in Christo erat. Audi Apostolum Petrum: « Tempus est, inquit, ut iudicium incipiat a domo Domini. » Exhortans martyres et testes Dei, ut omnes minas frementis sæculi patientissime tolerent, ait illis, « Tempus est inchoationis iudicii ex domo Dei. Si autem initium a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? Etsi justus vix salvus fit, peccator et impius ubi parebunt<sup>3</sup>? Annuntians verbum suum Jacob, justitias et iudicia sua Israël. »

XXVIII. « Non fecit sic universæ genti. » Nemo vos fallat: non nuntiatum est alicui genti hoc iudicium Dei: quomodo patiantur et justis et injustis: quomodo pro merito omnes: quomodo in gratia Dei, non in suis meritis liberentur ipsi justis. Non annuntiatum est hoc universæ genti; sed soli Jacob, soli Israël. Quid ergo nos facimus, si non annuntiavit universæ genti, sed tantum Jacob, tantum Israël? Ubi erimus nos? In Jacob et in Israël. « Iudicia sua non manifestavit eis<sup>4</sup>. » Quibus? Omnibus gentibus. Et quomodo vocatæ sunt nives, soluto crystallo? Quomodo vocatæ sunt gentes, justificato Paulo? Quomodo, nisi ut essent in Jacob? Præcisus est oleaster, ut insereretur in olivam<sup>5</sup>. Jam ad olivam pertinent; jam

<sup>1</sup> Psal. lxxviii, 5. — <sup>2</sup> Joan. xiv, 30, 31. — <sup>3</sup> I Petr. iv, 17, 18. — <sup>4</sup> Psal. cxlvii, 20. — <sup>5</sup> Rom. xi, 17, etc.

non debent dici gentes, sed una gens in Christo, gens Jacob, gens Israël. Quare gens Jacob et gens Israël? Quia Jacob de Isaac, Isaac de Abraham. Abrahæ autem quid dictum est? « In semine tuo benedicentur omnes gentes<sup>1</sup>. » Hoc idem dictum est ad Isaac, hoc et ad Jacob. Pertinemus ergo ad Jacob: quia pertinemus ad Isaac, pertinemus ad Abraham. Semen enim Abrahæ, non me vel quolibet homine, sed Apostolo sancto interpretante, Christus est: et ipse ait: « Non dicit, et seminibus tanquam in multis; sed » tanquam in uno, et semini tuo, quod est Christus<sup>2</sup>. » Si unum semen, unus Jacob, unus Israël, et omnes gentes unus in Christo. Ergo ad omnes pertinet gentes, quod revelavit ipsi Jacob et ipsi Israël: et illi soli in aliis gentibus deputandi sunt, qui nolentes credere in Christum, nolunt recedere ab oleastro et inseri olivæ. Remanebunt in sylvis rami steriles et amari. Gaudeat Jacob. Quid est Jacob? Supplantator; quia supplantavit fratrem Jacob<sup>3</sup>. « Cæcitas enim ex parte Israël facta est, ut plenitudo Gentium intraret<sup>4</sup>. » De Jacob factus est Israël. Quid est Israël? Jam omnes audiamus, omnes Israël, sive qui hic estis in membris Christi, sive qui foris et non foris, et per omnes gentes ubique foris, ubique intus: audiat ipse Israël, qui ex Jacob factus est Israël. Quid est Israël? Videns Deum. Ubi videbit Deum? In pace. In qua pace? Pace Jerusalem: quia posuit, inquit, fines tuos pacem. Ibi laudabimus, omnes unus in uno ad unum erimus: quia deinceps multi dispersi non erimus.

<sup>1</sup> Gen. xxii, 18. — <sup>2</sup> Gal. iii, 16. — <sup>3</sup> Gen. xxvii, 36. — <sup>4</sup> Rom. xi, 25.